



Per.
Lat
020

Prodit Budapestini, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum 4 pengő 80 fillér.

Megjelenik Budapesten, I. Verpeléti-út 22. tizszer egy
évben. Előfizetési ára évi 4 pengő 80 fillér.

IOSEPHUS KATONA.

Nuperrime exactus est annus centesimus, ex quo poeta Hungarus, sortis, quae cuivis poetae adhuc obtigerat, iniquissimae, acerba morte peremptus, paene sine nomine, obscurus ignobilisque sepulcro conditus est. «Stygiis fluctibus» poetam artifex scenicus,¹ suo tempore nobilissimus: *Gabriel Egressy* eripuit, qui poetam opusque eius magnificentissimum invenit, fatali nempe necessitate, nam Musa ipsa vetat mori virum, laude dignum. Post *Egressy Paulus Gyulai*, criticus ille clarissimus intendit animum in poetam et tragoediam eius «Bánk bán» interpretatione probavit, itaque nomen honosque Iosephi Katona magis magisque fulgebant augebanturque, tragoedia autem eius optimam laudem



nancta est effugitque taciturnitatem invidiam.

Iosephus Katona non solum auctor tragoediae nostrae optimae, sed heros quoque sortis suae tristissimae factus est. Nam cum quietae senectutis desiderio flagraret,² virili aetate vita cessit. Ardebat laudis cupidine: ossa tellus sine gloria amplexata³ est glebis.⁴ Felicitatem vitae desiderabat, cuius tamen expers mansit usque ad ultimum vitae spatium. Successum⁵ in theatro prosperrimum vehementissime avebat,⁶ sed huic obstabant officium pietasque⁷ erga parentem, quem ut sustentare⁸ posset, scenam reliquit munusque actoris publici⁹ subiit.¹⁰ Tragoe-

¹ színész ² erősen ég ³ körülvesz, átölel ⁴ göröngy ⁵ siker ⁶ áhítozik ⁷ kötelesség-érzet ⁸ támogatás ⁹ főügyész ¹⁰ elvállal.

diam commentus est¹¹ exaravitque¹² optimam, sed nemo eam comprobavit¹³ et editam privato sumptu nemo legit. Quibus erroribus¹⁴ percussus¹⁵ perturbatusque¹⁶ poeta percalluit:¹⁷ vates in eo mortuus est prius, quam ipse vitam clauderet.

Memoriam revocantes poetae aeternitate perenni dignam, agamus Deo grates, quod nobis Iosephum Katona tragoediamque Bánk bán dedit. Nomen, honos laudesque eius merito manebunt semper, dum Hungari vivent.

11 költ 12 ír 13 jónak nyilvánít 14 csalódás
15 megrendül 16 egyensúlyát veszti 17 közönyössé válik.

De Maecenate.*

(Ex libello Beulé: «Familia Augusti et aetas eius».)

Gloriae cupidus nunquam erat Maecenas: honores nihili aestimabat. Ingentibus divitiis contentus oblatos ab Augusto honores repudiavit¹ et simplex eques mansit, ami-


cus et suasor promptus Octaviani, apud quem plurimum valuit. Saevientis imperatoris etiam iram compescere² potuit. Aliquando Augustus iracundia elatus omnes reos crudeliter mortis condemnavit. Maecenas tabellas imperatori porrexit, in quibus inscripsit: «Surge tandem carnifex!» Et Augustus surrexit, quaestio autem in aliud tempus dilata est, dum ira defervesceret.³

Agrippae quoque causam⁴ Maecenas apud Augustum suscepit:⁴ «Agrippam in tantum altitudinis extulisti, — monebat imperatorem — ut eum occidere, aut generum efficere deberes». Tum huius commoda⁵ enumerabat et Agrippa non est interfectus. Talia conferebant Augustus et suasor eius de amplissimis optimisque imperii viris.

Animus Maecenatis vere Epicurēus erat: delectabatur mensis, exquisitissimis⁶ epulis oneratis omnibusque voluptatibus, quae ad

* Cfr. numerum 7.

1 visszautasít 2 megzaboláz 3 lelohad 4 védelmét vállalja 5 előny 6 válogatott.



LECTORIBUS MINIMIS.

Mira providentia.¹

Homo quidam incidit² in viatorem,³ qui magnopere⁴ laborabat,⁵ ut plaustrum⁶ in luto⁷ haerens⁸ extraheret.

— Aduva me, frater⁹ — ait voce supplici,¹⁰ — a mane¹¹ frustra hic laboro.

Ille respondet:

— Nubes ostendunt noctem non fore tranquillam.¹² Quia pagus¹³ longe abest, metuo, ne sero¹⁴ veniam.

Veruntamen precibus commotus succurrit¹⁵ homini laboranti et ambo plaustrum extrahunt.

Interea contenebrescebat;¹⁶ caliginosa¹⁷ nox eum in silva deprehendit; ergo, quamquam semihorae¹⁸ itinere aberat a domo sua, tempestate¹⁹ et crebris fulguribus et

pluvia coactus est, ut in fago²⁰ cava²¹ refugium²² peteret.²³

Tum indignans²⁴ suam bonitatem improbavit.²⁵ Dum sic meditatur,²⁶ tempestas remisit.²⁷ Cum experrectus esset,²⁸ diluculum²⁹ iucundum esse vidit.

Mature³⁰ pervenit in pagum; sed tantum fumantes³¹ domus suae reliquias³² invenit. Ad hoc³³ nocte fulmen lectum suum tetigerat. Tum gratias egit Deo, quod se tanto periculo liberaverat.

Mox cum domum rursus aedificare inciperet, sub lapide sublato invenit maiorum opes,³⁴ quae illis turbidis³⁵ temporibus in eum locum reconditae erant³⁶. Cum ita copiose³⁷ damnum restitutum esset,³⁸ felicem dixit horam, qua inopem³⁹ viatorem adiuvasset et veniam⁴⁰ petivit a Deo, de cuius favore⁴¹ dubitavisset.

V. Fehér.

1 gondviselés 2 ráakad 3 utas 4 nagyon 5 vesződik 6 szekér 7 sár 8 elakad 9 atyafi 10 könyörgő 11 reggeltől 12 csendes, nyugodt 13 falú 14 későn 15 segítségére megy 16 besötétedik 17 sötét 18 félóra 19 zivatar 20 bükkfa 21 odvas 22 menedék 23 keres 24 bosszankodva 25 átkoz 26 tűnődik 27 enyhül 28 felébred 29 hajnali szürkület 30 jókor 31 füstölgő 32 imént 33 hozzá még 34 kincs 35 zavaros 36 elrejt 37 kamatostul 38 megtérül 39 ügyefogyott 40 bocsánat 41 áldás.

tempus eius conveniebant. Annum in villa Tiburtina et in urbe assectatoribus⁷ assidue circumventus degebat.

Notus est locus Romae, ubi domus et horti Maecenatis pulcherrimi iacebant. Hortos postea Nero suos fecit, cum possessiones trans vallem, quae inter Esquilias et montem Palatinum sita est, proferre voluit. Locus inter templum Sanctae Mariae (St. Maria Maggiore) et thermas Titi quaerendus est.

Item nota est villa Tiburtina, cuius partes etiam hodie restant. Abhinc aliquot annis fornax⁸ aeraria ex ea facta est ibique videri potest cavaedium⁹ quadratum Maecenatis cum arcubus, qui semicolumnis Doricis innixi erant.

Ultimos annos vitae morbus tenax et immedicabilis molestos fecit. Insomniā¹⁰ cruciatur, quam nulla medicamenta tollere¹¹ poterant. Nihilo minus Maecenas vitam amabat et teste Senecā valde mortem timebat. Inde illud Maecenatis turpissimum votum: «Debilem¹² facito manu, debilem pede, coxā,¹³ tuber¹⁴ adstrue, gibberum,¹⁵ lubricos¹⁶ quate dentes: vita dum superest, bene est. Hanc mihi, vel acutā¹⁷ si sedeam cruce, sustine!» Catonis dictum sane contrarium est: «Moriar, si libere vivere non licet!»

Ex omnibus, quae de Maecenate diximus, perspicitur illum non fuisse Periclem, neque Alexandrum. Attamen fortunā favente Maecenas tutor poetarum exstitit: posteritas ex illo Maecenatem alterum sane perfectissimum finxit, qui vivet usque, quoad genus humanum florebit.

7 híveivel 8 kohó 9 udvar 10 álmatlanság
11 megszűntet 12 csonka 13 csipő 14 daganat 15 púpos
16 ingadozó 17 tüskés.

Herois¹ phari.²

Grace Darling (1815—1842.)

Nuperrime legimus in diurnis feminae fortissimae, cui nomen est Grace Darling, Londinii in pinacotheca nationali Britannorum sollemniter positam esse imaginem. Femina, cuius memoriam immortalitatis³ tradere³ clarissima atque potentissima Britannorum natio haud indignum se putavit,

cuiusque nomen in patria terra longe lateque versatur, saeculo floruit praeterito (1815—1842) fuitque filia custodis phari Longstonensis.

Procul a coetu hominum in solitudine⁴ phari est nata femina, ibidemque vitam posuit inter insulas Farnenses procul a litore Northumberlandico.

Vitam totam illis locis remotis⁵ agens una cum parentibus pharo administrando⁶ operam dabat. Grace iam puella tempestatibus erat assuefacta super mare saevientibus. Cotidie navicula vecta scholam in remotolitore sitam frequentabat. Iter inter pharum et litora primo cum patre vel matre, sed posterius ipsa sola ducendo remos faciebat et sub⁷ vesperum⁷ etiam per mare forte procellosum renavigare non perhorrescebat.

Herois nostra vicesimum gerens annum aquis formidolose fluctuantibus⁸ navem⁹ actuariam⁹ ad scopulos allisam¹⁰ per telescopium phari conspexit. Fracta nave fluctus instar montis erecti partem navis, cui nomen «Forfarshire» erat, cum novem viatoribus saxo iniecere,¹¹ quo naufragos miseros quolibet momento cum ruina navis detorqueri¹² heroidi nostrae mare turgidum spectanti visum est inevitabile. In hoc discrimine rerum naufragos miseros imminente morte eripere summumque periculum subire dissuadente patre non reformidavit.¹³ Pater tamen dimittere filiam noluit solam et summa virium contentione ad scopulos demum evasere¹⁴ et tres mulieres duosque viros secum ad pharum simili contentione retulere, dum haud multum a fuit, quin omnes mergerentur. Re heroice perpetrata Grace cum viris liberatis ad ruinam navis reversa reliquos quoque naufragos periculo eripuit. Virgo animi fortis et invicti postea quoque pluribus magnis facinoribus peractis aliquando crudeli frigore¹⁵ confecta¹⁵ vitam *humanitate purā* honestissimam XXVII annorum finivit.

Seb. A. Módy.

1 hősnő 2 világítótorony 3 megörökít 4 magánosság 5 félreeső 6 szolgálat 7 este felé 8 hullámzik 9 gyors-, postahajó 10 (szirtbe) ütődik 11 vet 12 hajt, eltérít, 13 visszariad 14 kivergődik 15 megfagy.

De Phaëthonte.

Pictura, quam adiungimus, Phaëthontem de curru Solis fulmine deiectum ostendit.

Phaëthon filius Solis erat. Aliquando origo eius divina ab Epapho, filio Iovis in dubium vocabatur.¹ Phaëthon patrem adiit precans, ut sibi pignus² aliquod daret, unde se filium eius re vera esse appareret. Sol se omnia daturum esse iuravit. Eodem vestigio³ iam patrem poenituit iurasse. Ille enim optavit, ut sibi currum solarem in unum diem regere liceret. Pater tremefactus vota filii audivit eumque de⁴ consilio⁴

avertere⁴ conabatur, sed frustra. Filius audax currum conscendit. Cum autem equis⁵ vehementibus coercendis impar⁵ esset, iustā⁶ in



teni⁵ a tüzes lovakat nem tudta fékentartani⁶ a helyes út⁷ elég⁸ teljesen megrepedezik⁹ legelő¹⁰ kiszárad¹¹ összeszűkül¹² száraz homoksvatag¹³ ávilági folyó.

caelo viā⁶ relictā orbi terrarum ita appropinquavit, ut hic paene conflagraret.⁷

Tellus flammis corripitur, fissaque⁸ rimas⁸ agit.⁸ Pabula⁹ arescunt,¹⁰ arbores cum frondibus conflagrant, urbes extinguuntur. Mare contrahitur¹¹ et quod modo pontus erat, siccae¹² arenae¹² campus¹² est.

Tum Iuppiter ira incensus prolem Solis fulmine de curru deiecit. Corpus eius in Eridanum¹³ flumen delapsum Naïdes Hesperiae exceperunt tumuloque condiderunt. (E. M.)

¹ Kétségbe von ² zálog ³ abban a pillanatban ⁴ szándékától eltérően

Claudii.

Ad fabulam *Ernesti Eckstein* latine scripsit *Valentinus Fehér*.

— Muscas in crucem agere vultis — intonat¹ maxima voce. — Suculas² et tollonem³ exstruitis, quo stipulam⁴ murum traiciatis. Agite vero, mittite centum cohortes in meum praedium, talpa⁵ quaedam in agris grassatur.⁶ Sumite falces in manus, producite magna oneraria⁷ plaustra,⁷ nam cynorrhoda⁸ in campo decidenda domumque portanda est. Pandite vela, nautae, pulchra Lycoris est sternutura.⁹ Singularem habetis sapientiam vos, morum censores,¹⁰ propugnacula¹¹ castae¹² civitatis.

Sic traxit¹³ in ridiculum¹³ acuto ingenio magnum illud conatum,¹⁴ quod causam legis

illius concipiendae¹⁵ continebat.¹⁶ Deinde sic dicere perrexit:

— Lex ista damnat Nazarenos, quod Romanorum deos non esse, sed opinione¹⁷ commentos¹⁷ dicant. Num habet res publicae ius, quo proprium animi¹⁸ iudicium¹⁸ custodiat? Ubi est in hac re finis, patres conscripti? Quatenus patet ius boni civis Romani? Si quis Graecus ex Atheniensium urbe civitatem vult adipisci Romanam, num debet credere Sisyphum re vera saxum in montem volvere, quod in vallem iterum iterumque revolvatur? Nemo unquam, pa-

¹ dörög ² esiga ³ daru ⁴ szalma ⁵ vakond ⁶ garázdalkodik ⁷ terhes szekér ⁸ vadrózsa ⁹ tüsszent ¹⁰ erkölcsbíró ¹¹ védőbástya ¹² erkölcsös ¹³ nevetségessé tesz ¹⁴ hűlő ¹⁵ szerkeszt ¹⁶ causam continet (vminek az alapja) ¹⁷ a képzelet szüleménye ¹⁸ meggyőződés.

tres conscripti, a civibus Romanis postulavit, ut hoc crederent, illud non crederent. Quid significat hoc pulchrum nostrum vocabulum religionis, iam a priscis Latinis usurpatum?¹⁹ Sacrum significat horrorem, quo quis superior sponte sua pertimescat; sed qualem hunc superiorem ducamus animantem,²⁰ nemini rationem²¹ a nobis exigere²¹ licet.

— Iamne perorasti?²² — quaerit praetor.

— Pauca etiam volo dicere — pergit Cinna.

— Lex ista non solum omnium²³ consensio- nem²³ misere corrumpet, sed etiam pacem domesticam ac felicitatem labefactabit. Qui- bus rebus necessario fiet, ut delatio,²⁴ pro- ditio, denuntiatio²⁵ virtutis loco habeantur. Pudorem ac verecundiam fiduciamque in altero positam lex ista, quae praemium pro- ditoribus et delatoribus proponit, penitus extirpabit.²⁶ Praemoneo vos, ne hac lege cuius homini nequam tela subministretis,²⁷ haec enim tela vitae plurimorum civium mortem minitabuntur. Fieri poterit, ut haec tela fortasse vobis obvertantur.²⁸ Tamdiu estis hastae potentes,²⁹ quamdiu manibus eam premitis; si quando proieceritis, pote- stas vestra disperibit. Mihi persuasum est,

patres conscripti, vos hanc legem, quae supervacanea³⁰ vobisque sit indigna atque nobis omnibus calamitosa, concordia³¹ suffra- gio³¹ reiecturos.

Postquam T. Claudius Mucianus ad verba Cinnae respondit, praetor iussit fieri senten- tiam;³² quod manibus tollendis factum est. Sex viri contra rogationem,³³ reliqui omnes pro lege sententiam dixerunt.

★

Ea nocte Quintus de secunda vigilia pallio ameris circumiecto domo abiit. Nox erat tenebricosa. Longo itinere pedestri confecto ad rivum Almonem pervenit, ubi Diphilus et Euterpe iam ei praestolabantur.³⁴ Hora post Quintus Claudius baptizatus est. Con- cubia³⁵ nocte³⁵ revertebatur.

— Iesu Christe — inquit — dehinc ego quo- que te mihi Deum habebō. Meam tibi vitam commendo; tuere patrem meum, tuere pa- triam et ignosce sodalibus, qui nesciunt, quid agant.

¹⁹ használt ²⁰ lény ²¹ számon kér ²² végez a beszéddel ²³ közszellem ²⁴ kémkedés ²⁵ feljelentés ²⁶ kiöl ²⁷ ad ²⁸ ellen fordít ²⁹ ura (vminek) ³⁰ feles- leges ³¹ egyhangúlag ³² szavazás ³³ javaslat ³⁴ vára- kozik ³⁵ késő éjjel.



De latrunculis¹ ludendi¹ origine.

Lusus latrunculorum nec Romanis, nec Graecis notus erat, etsi reperiuntur, qui originem latrunculis ludendi ad antiquis- sima tempora reducere velint. Nostra² me- moria² communis³ est³ opinio³ lusum latrun- culorum saeculo p. Chr. V. inventum esse. Ludi originem *Al Sefadi*, scriptor Arabs, hoc modo narrat:

Sérám, Indorum rex, stultissima ratione sua gubernandi regnum ad⁴ exitium⁴ voca- vit.⁴ Senatores nunquam consulebat, immo capite⁵ ludebat,⁵ qui contradicere ei ausus est. Tunc *Sesa*, vir Indorum doctissimus, regem castigare⁶ decrevit, rei autem expedi- endae rationem ita invenire voluit, ut rex ne ira quidem incenderetur. Itaque vir, acuta mente praeditus, eiusmodi lusum commen- tus est, quo demonstrare posset fore, ut

frustra rex gravissimas⁷ in ludendo partes⁷ ageret,⁷ nisi a civibus vehementissime iuva- retur.

Lusu invento valde rex delectabatur mo- vebantque eum rationes⁸ legesque⁸ ludendi,⁸ quibus unicuique figurae termini certi con- stituebantur, ne praecepta violari⁹ possent. Mente mutatus rex melior est factus, qui, ut gratiam viro referret, concessit ei, cupe- ret, quod vellet.

Sesa nihil aliud petivit, quam, ut sibi in primo tabulae quadrato¹⁰ unum granum¹¹ tritici¹¹ poneretur, in secundo sequentibus- que autem duplex prioris quadrati granorum numerus. Voluntati viri rex promptus ob- temperare voluit praefectumque¹² aerarii¹² rationem¹³ inire¹³ iussit. Sed tunc apparuit, si voluntati Sesa obsequi vellent, futurum esse, ut in toto regno non haberent tantam vim frumenti, quae opus esset. Itaque rex inventorem ingeniosissimum alio modo com- pensavit.¹⁴

Josephus Keresztúry
disc. V. cl. gymn.-realis Sopianensis.


¹ sakkjáték ² legújabb időben ³ általános a hie- delem ⁴ végső veszélybe dönt ⁵ fejével játszik ⁶ megféd ⁷ a legfontosabb szerepe ⁸ játékszabályok ⁹ áthág ¹⁰ négyszög ¹¹ búzaszem ¹² kincstáros ¹³ számot vet ¹⁴ kárpótol.



GEOGRAPHICA.

De muro Sinensi.

Ducentis annis ante Chr. n. imperatores Sinenses, ut fines imperii contra saevos Mongolorum impetus, a quibus assidue



vexabantur, defenderent, ingentem murum aedificaverunt, qui nostris quoque temporibus adeo firmus et incolumis est, ut temporum iniquitates¹ per aliquot milia annorum sustenturus² esse videatur.

Hesse Wartegg, clarissimus viator Germanus haec de muro scribit:

«Murus prope Pechingum, — quod est caput imperii — altus ad undecim metra et crassus septem metra dimidiumque est.

«Ex caementis³ ingentibus collatus et exstructus murus ex oriente in occidentem vergit per loca nuda, montes altissimos regionesque incultas.

«Murus 2450 chiliometra longus e litoribus Maris Flavi⁴ usque ad deserta, quae dicuntur Gobiana patescit, itaque, si murus in Europa fuisset exstruendus, e Britannia usque ad Hellespontum pertineret.

«Saepe stabam admirans ante pyramidem Cheopis, in qua exstruenda — teste Herodoto — centum milia hominum triginta annis laboraverant. Sed e muro Sinensi centum viginti pyramides possent exstrui, tanta vis materiae in eum inaedificata est. Quot mi-

lia hominum in eo laboraverint, haud unquam sciemus. Murus enim non in planitie, ut illa Cheopis pyramis aedificabatur, neque vi fluviorum, ut in Aegypto, Nili, ad materiam transportandam uti poterant operarii.⁵

«Sinenses murum usque ad septimum decimum saeculum p. Chr. n. per milites custodiebant, hodie stationibus custodiisque nudus est murus.»

¹ az idő mostohaságát ² kiáll ³ kitermelt kő
⁴ Sárga-tenger ⁵ munkás.

NATURALIA

De simiis.

Viri docti vitam indolesque animalium observantes¹ simias cervisia² valde delectari experti sunt. Qua de causa indigenae³ in Africa nonnullis locis simias cervisia venantur. Non procul a silva in aperto dolium⁴ cervisia completum ponitur. Venatores delitescunt.⁵ Brevi tempore conspiciuntur simiae, liquorem avide ebibunt et adeo ebriae fiunt, ut nullum inter se hominesque discrimen facere queant. Venatores apparent et simias sepiunt,⁶ quarum ducem unus ex venatoribus comprehendit et cum eo ad pagum



it. Mox etiam ceterae eos subsequuntur⁷ et hoc modo haud raro ab indigenis 20—30 simiae capiuntur.

(E. M.)

¹ megfigyel ² sör ³ bennszülött ⁴ hordó ⁵ elrejtőzik ⁶ körülvesz ⁷ utána megy.

VARIA

I.

Apelles, pictor sui temporis celeberrimus Alexandrum Magnum in equo sedentem depinxit. Rex picturam minus laudabat, quam debuit. Ideo pictor ira inflammatus equum regis adducendum curabat, qui cum picto adhinniret,¹ velut si et ille verus esset, tum: o rex, inquit, equus tuus peritior esse videtur, quam tu.

II.

Paterfamilias Aristippum philosophum adiit, ut filium suum erudiendum susciperet. Qui cum quingentas drachmas peteret, pater ignarus atque avarus pretio deterritus, tanti,² dixit, bovem emere possum. Tum philosophus: eme, inquit, et duos habebis.

III.

Ludovicus XV., rex Francogallorum forte milites lustrabat,³ qui nuperrime de Anglis victoriam reportarunt. Sed tunc iam inter regna pax agitabatur et ipse legatus Anglorum in comitatu regis aderat. Rex coram milite⁴ gregario,⁴ cuius facies cicatricibus⁵ deformata erat, constitit et: nonne, domine, dixit legato, in oribus militum meorum incisum et inscriptum est eos in Europa fortissimos esse? Sed dic mihi, quaeso, o rex, respondit legatus, quid de illis censeas, qui haec vulnera dederint? Cum rex responso acuto conturbatus sileret, miles pro rege commodissime⁶ respondit: illi omnes ad⁷ unum⁷ a nobis occisi sunt.

IV.

Cum quidam degener prognatus⁸ antiquae stirpis homini⁹ novo⁹ opprobret patrem eius non fuisse nobilem, ille respondisse dicitur: a me incipit nostra nobilitas, per te vestra exstincta est. *Aemilius Láng.*

¹ rányerít ² ennyiért ³ szemlét tart ⁴ közkatona ⁵ sebhely ⁶ találóan ⁷ egy szálíg ⁸ sarj ⁹ új nemes.

Avida est periculi virtus.

Gubernatorem in tempestate, militem in acie intellegis.

Solutiones aenigmatum Numeri VIII.

I. *Sit tibi crux vitae semper rosis coronata!* — II. Roma; Andes; Padua; Fulvia; Italia; Cicero; Quirinus; Catilina; Quirites; Britannia; Fortes fortuna (adiuvat); Cincinnatus; Fabius Cunctator; (Senatus) populusque Romanus. — *Proverbium: Qui proficit in artibus et deficit in moribus, plus deficit, quam proficit!* — III. Mola. — IV. Lapis.


Aenigmata Numeri VIII. recte dissolverunt: *Budapestinenses:* Maria Ember, Edith Homonnay, Lad. Kepes, Alice Lehmann, Stephania Pápay, Margarita Réczey, Margarita Schier, Camilla Takáts, Lud. Török. — *Scarabantienses:* Hel. Bánhegyi, Hel. Világhy. — *Sopianenses:* Alex. Fövenyessy, Joh. Horváth, Lad. Pichler, Iul. Vattamány. — *Veszpréminenses:* Car. Bertalan, Franc. Csehi, Steph. Frühbauer, Laura Hardy, Joh. Leiker, Eug. Májerszky, Helena Szakáts, Lad. Szantner, Andr. Világhy. — *Praemium E. Homonnay sorte obligit.*

*

Solutiones aenigmatum Numeri IX.

I. *Nihil obstat.* — II. *Pila.* — III. *Pistillus.* — IV. Cis, asinus, donum, Gaia, tilia, Tiro, sonora. «*Sic transit gloria mundi!*» — V. *Tarquinius Superbus.* (Ter qu in ius super bus.)

Aenigmata Numeri IX. dissolverunt: *Classis VI/B) gymnasii-realis,* nominati de Stephano Verbőczi, Alexander Kovács, Iulius Nagy (Budapestinenses), Iulius Vattamány (Sopianensis). — *Praemium discipuli classis VI/B) gymn.-r., nominati de Steph. Verbőczi adepti sunt.*



I.

		A	A	A	A	In aëre volat.
	A	S	S	S		Sine cortice nat.
S	S	S	V			Haec erat Baucis, per Ovidium notissima.
V	N	N				Si malum est, non solet frangi.
I	I					Pronomen demonstrativum.
U						Consonans.

Haec vocabula desuper deorsum lecta idem reddant, quod a sinistra ad dextram.

II.

Novus	Femina	Mons
Sobrius	Summus	Gratus
Ullus	Facilis	Destruit
Extra	Nobilis	Iniustus

Pro his vocabulis contraria ponantur, quorum litterae primae dictum cuiusdam clarissimi viri Romani reddant.

III.

Ad saltum equulei.

e	e	e		a	d	s
n		f	a	e		n
s	r	t		o	o	t
		n		Qu*		
d	i	i		a	e	t
d		i	s	i		d
d	e	qu		o	t	m

Ladislau Manica
disc. cl. VII-mae gymn.-realis
Novopestiniensis.

Epigrammata tristicha aenigmatica.

IV.

Purpura sum terrae pulchro perfusa colore,
Septaque, ne violer, telis defendor acutis.
O felix, longo si possem vivere fato!


V.

Rauca sonans ego sum media vocalis in unda,
Cumque canam semper, nullus mea carmina laudat,
Sic vox laude caret, quae se laudaverit ipsa.

VI.

Semper me vituperatis,
Ut exemplum tarditatis,
At, cum vos ne loco quidem
Moveatis opus idem:
Ambulans in prato, in horto
Domum meam mecum porto!

Iulius Vattamány
disc. cl. IV. gymn.-realis Sopianensis.



Ladislau Pichler. Quod misisti aenigma, mi carissime fili, iam pridem prodiit, fortasse, cum tu Elysios campos mirabarís, nec tibi venit telluris visendae cupido. Industriam tamen laudo tuam, coeptisque gaudeo. Tu, si quid audes, perge! — Helena Bánhegyi, Hel. Világhy: Aenigmata vestra suo tempore promam. — Edith Homonnay: Solutiones aenigmatum bonas misisti. Gaude sorte tua: praemium tibi obvenit! — Si aenigmata, vel versiones miseris, gaudebo. — Leopoldus Huber, Colocia: Benigne me rogas, Illustrissime Domine, ut communicem, quo nomine summus mons Alpium, qui vulgo «Montblanc» nuncupatur, antiquissimis temporibus appellatus sit. Ad quod hisce breviter respondeo: Plane caret mentione summus mons Alpium: Montblanc in scriptis antiquorum, res geographicas pertractantium, quorum clarissimi: Polybius, Strabo, Plinius tantum vias tritas per iuga Alpium Graiarum ducentes (ad quas montes continui, quorum summus est Montblanc, pertinent) descripserunt. Ipse Plinius celsissimum cacumen Alpium Vesulum montem putabat, quia haec de fontibus Padi scribit: «Padus e gremio Vesuli montis celsissimum in cacumen Alpium elati profluit». (Historiarum mundi lib. III. 20, 15.)

Temporibus nostris Montblanc a quibusdam «Summus Penninus» nominatur, ex mea sententia haud recte, quia summum cacumen Alpium, Montblanc, ad Alpes Graias pertinet, itaque rectius Summus Graius sit appellandus. Cum autem reperiantur, et quidem haud rari, qui sub nomine Summi Pennini (Grai) non putent rem de Montblanc agi, rectissime nominabimus montem simpliciter et libere: Montblanc!

Scripsi haec properans, Domine Illustrissime. Ceterum de Alpibus velim perlegas — si libet — Dübii dissertationem in Jahrb. Schw. Alp. Cl. XVII. 377—406, item sub voce: Alpes aliquot paginas operis, quod inscribitur: Paulys Realencyclopaedie der class. Altertumswissenschaft. (I, 1599—1612.) — Pro tua erga me benevolentia gratissimus sum tibi.

Omnibus lectoribus nostris iucundissimum feriarum tempus precamur. Iis autem viris doctissimis, qui opusculis suis nos adiuvabant, ex animi sententia gratias agimus.

Moderator ephemeridis: EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,

ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: STEPHANUS ACSAY DR., elnök.)